





1763, 27

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**F I L I A**  
**PROPRIA BONA POSSIDENTE**  
**AD PETITIONEM DOTIS EX FEVDO**  
**NON ADMITTENDA**

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV  
P R A E S I D E  
**D. FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO**

P. P. DE VERB. SIGNIF. ET DIVERS. REG. IVR.  
ET FACVL. IVRID. ASSESS.  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
CAPESSENDI  
D. XIX MAII MDCCCLXIII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
A V C T O R  
**IOANNES GEORGIVS SPILLNER**  
ADVOC. DRESDEN S.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



Dissertatio in Academiam

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
COMITI AC DOMINO  
D O M I N O  
C H R I S T I A N O  
S. R. I. COMITI  
A L O S S  
ORDINVM  
AQVILAE ALBAE ET ST. ANDREAE  
EQVITI  
POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM  
ELECTORIS SAXONIAE  
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO  
ET COMITI CONSISTORIANO  
REL. REL. REL.  
MAECENATI OPTIMO INDVLGENTISSIMOQVE



DE VOTISSIMA MENTIS  
RELIGIONEM  
QVOCVNQVE VALEAT MODO OBTESTARI  
ET  
O N A I T A R I  
STUDIA SVA  
S V M M O I V D I C I A D P R O B A R E  
INDEFESSA DEMISSISSIMI ANIMI  
C V R A  
I N T E N D I T  
V O L F V E V L B V E E T S T A N D R E A T  
E O V A T I  
P O T U N T I S S I M I R E C I S P O L O N I A N A  
F L L O D O R I S S A T O N I T S  
S Y N C H O R I S A D M I S S I O N E S M I N I S T R O  
E T C O M I T I C O Z Z I S T O R I A X O  
S V B I E C T I S S I M V S V E N E R A T O R  
I O A N N E S G E O R G I V S S P I L L N E R.



*Filia propria bona possidente ad Petitionem  
dotis ex feudo non admittenda.*

§. I.

**D**iuersa vxorum sunt bona, diuersa quoque eorum iura et priuilegia sive ad tempora antiqua sive recentiora respicere velis. Vel enim intuitu matrimonii ut exinde onera ferre possit maritus inferuntur et sunt dotalia, quorum liberrimam administrationem et usumfructum sibi vindicat maritus, quam ob rem in legibus quoque certo respectu pro domino habetur, <sup>a)</sup> vel praeter dotem bona quaedam consert foemina, aut durante matrimonio adquirit, quae paraphernalia seu praeter dotem data dicuntur, <sup>b)</sup> circa quae iure ciuili marito nec dominium <sup>c)</sup> nec potestas percipiendi fructus sed sola administratio competit, excepto casu speciali, quo nomi- num paraphernalium exactorum usurpas in suum et vxoris com- modum potest conuertere, forte in compensationem molestiae quam in iis exigendis suscipit <sup>d)</sup> quamvis in obseruantia ex consuetudine quadam vniuersali <sup>e)</sup> eatenus ius ciuile correctum vt et administrationem concedendam esse marito statuamus. Ab illis separata sunt receptitia, quae vxor ita pleno iure sibi

A 3

retinuit,

retinuit, ut et mariti potestati voluerit subducta seu exenta esse <sup>f).</sup> Haec diuersitas bonorum et diuersitatem priuilegiorum inducit, ad quae potissimum hypotheca tacita in bonis mariti respectu dotalium et paraphernalium vxori competens resertur. Quamuis enim non consentiam illis, qui volente marito negant vxorem seruandae dotis causa fideiussorem accipere posse, cum ex lege ciuili <sup>g)</sup> hoc probari nequeat, quid quod potius Iure Canonico pariter quam Saxonico contrarium appareat, <sup>h)</sup> minime tamen diffiteri audeo inuitum non cogi posse maritum, cum reuerentiae et obsequio quod debet vxor marito hoc repugnare videatur, quam ob causam leges ipso iure vxori securitatem concederunt; quod ius praesertim quoad dotem singulari praerogativa ita munatum est, ut in concursu creditorum fisco ex contractu debitum petenti foemina sit praferenda <sup>i).</sup>

- a) pr. I. Quib. alien. licet I. 7. §. vlt. I. 69. §. 8. I. 75. ff. de iur. dot. I. 23. C. d. t.
- b) I. 9. §. vlt. ff. de iur. dot. I. 31. §. 1. ff. de Donat.
- c) I. vlt. C. de paet. conu. I. 9. §. 3. ff. de iur. dot.
- d) I. vlt. C. de paet. conuent.
- e) Leyf. Spec. 303. Med. 10 - 16.
- f) I. 8. C. de paet. conuent.
- g) I. 2. C. ne fidei. vel mandat. dot. dentur.
- h) c. 7. X. de donat. inter vir. et vxor. Weichbild art. 24.
- i) I. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.

## §. II.

Quod ad dotem attinet, hoc vocabulum diuersos recipit significatus, non solum in iure sed etiam in scriptoribus classi-  
cis obuenientes. Ita saepiuscule Cicero corporis animique bona dotes appellat, et bonum quod ecclesiae ut ministris Salaria suppeditare, pauperibus prospicere, pariterque aedes sacras conseruare possit, datur, eodem nomine indicatur, nec non personae tale peculium constituentes vocantur dotatores, quibus in compensationem beneficij collati ius patronatus, singularares

gulares quod comprehendit praerogatiwas, tribuitur k). Ast in iure tres sunt huius vocabuli notiones. Vel accipitur pro titulo seu promissione, et in materia usucaptionis vel praescriptionis obuenit, vel denotat ius, quod marito in certis vxoris bonis seu facultatibus competit, vel denique dotem dicimus ipsam substantiam dispositioni pariter et administrationi mariti obnoxiam. Quam ob rem dos est res, quae vel ab uxore vel alio marito ad onera matrimonii sustinenda datur. Substantiam in dote obuenientem diximus rem, quia vocabulum illud latiorem habet significatum, quam pecunia, cum haec tantum denotet res, quae actu sunt in nostro patrimonio l) ast si dotem considerare velimus, non solum res propriae sed etiam alienae interuenire possunt, m) quod tamen ita limitandum ut euidem inter coniuges haec dotis constitutio habeat effectum, vero autem domino cui ius quae situm in iuto auferri non potest, competit rei vindicatio n).

k) c. piae mentis 16. qu. 7.

l) l. 5. ff. de verb. signif.

m) l. 6. §. 1. l. 39. 40. ff. de iur. dot.

n) l. 34. ff. de iur. dot.

### §. III.

Diuersae sunt dotis divisiones, quae vel ab eo qui dotem dat, vel ab illatione, vel respectu matrimonii, cuius gratia fit constitutio originem trahunt. Exinde contingit, ut dos pariter profectitia quam adventia, promissa et constituta, vera et putativa dicatur. Profectitia pater et ascendens dabat, quod tamen ita intelligendum est, ut pater qua talis eandem erogaverit. Quodsi enim ut debitor ex alia causa, veluti tanquam fideiussor dotem promittentis illam praestiterit, vel reliquit sibi haereditatem, legatumue dotis constituendae gratia repudiauerit, aduentitia est dos, quia nihil erogauit de suo, sed tantum non adquisiuit. Haec post mortem filiae ad patrem, ne filiae amissae et pecuniae damnum sentiret, reuertebatur o).

Aduen-

Aduentitia ex aduerso aliunde quam ex re patris proficisebatur et soluto matrimonio penes maritum remanebat, quae tamen differentia iure Saxonico, cum maritus dotem in mobiliis consistentem, salva iis quibus de iure debetur legitima lucretur, cesat. Promissam et constitutam dotem sola distinguit traditio, cum prior actu quidem nondum praestet marito utilitatem, priuilegiis tamen huic substantiae competentibus nunquam sit destituta. Quam ob causam Iure Codicis <sup>p)</sup> in bonis promissoris ius tacitae hypothecae locum habet. Quod beneficium licet ex legis dispositione tantum marito tribuatur, ex benigna tamen iuris interpretatione et identitate rationis etiam ad uxorem extendimus, et in concurso creditorum ipsi locum inter hypothecarios adsignamus. Nec minus intuitu matrimonii noua datur diuisio dotis verae et putativae, quam posteriorem pro illa, quae matrimonio, quod inter personas coniunctas per ignorantiam facti contractum, accedit, habemus, et quae quamdui subsistit matrimonium, omnes effectus doti proprios producit, soluto vero consortio vim atque efficaciam penitus amittit.

o) l. 6. §. 1. ff. de Iur. dot.

p) l. 6. C. de Iur. dot.

#### §. IV.

Quaenam vero plerumque ex libera voluntate dotes dentur, cum dotis datio donationis sit species, nemo autem in necessitatibus liberalis existat, <sup>q)</sup> interdum tamen quia dotis constitutio interesse publicum concernit, interest enim reipublicae, mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possint, quaedam personae ad eandem erogandam invitae cogi possunt. Coguntur vero vel absolute vel certo respectu seu conditione existente. Ad priorem classem refertur pater, eius enim omnino est officium dotem vel ante nuptias donationem dare pro sua progenie. Quam ob causam ex lege Iulia

lia illi qui liberos iniuria prohibent ducere uxores vel nubere vel qui dotem dare non volunt, ex Constitutione Diuorum Seueri et Antonini per Proconsules Praefidesque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare vel dotare. Quid quod ipse pater si filiusfamilias mutuum contraxit, ut pecuniam pro sorore sua in dotem daret, actione de in rem verso ad restituendum adigi potest <sup>r)</sup>. Ad alteram classem eorum nempe qui certo respectu tantum ad dotandum coguntur, refertur mater. Haec enim in regula et stricto iure non teneatur, ast ex aequitate si facultate non sit destituta et filia honestam nubendi conditionem inuenire nequeat, aut haec orthodoxae religioni addicta, ad constituendam dotem, ita enim leges sentiunt, cogi potest <sup>s)</sup>. Pariter fratribus hoc incumbit onus intuitu bonorum feudalium, quae exclusis fororibus cum in iis ex pacto primi acquirentis et providentia iuris feudalis succedamus, proprio retinent iure et ideo in compensationem, ne sorores penitus a paternis facultatibus exclusae videantur certum aliquid legibusque determinatum ex substantia feudali solvere tenentur, quibus et accedit fluprator, quippe qui in casum, stupratae, nisi eandem ducere velit, pro qualitate personae substantiam dare cogitur, quapropter foemina actionem instituens petitum alternatiue aut ad contrahendum matrimonium aut ad dotem constituendam dirigit.

q) I. 18. ff. de adm. vel transfer. leg.

r) I. 19. ff. de ritu nupt. l. 17. ff. ad SCt. Maced.

s) I. 14. C. de iur. dot. a. l. 19. C. de Haeret. Carpzov. P. III. Conft. El. XII. def. 10.

### §. V.

Varia equidem adhuc restant, quae de dote eiusque effectibus ex iure et obseruantia essent dicenda, sed cum animus fit, vti rubrica dissertationis demonstrat, de casu speciali tantum quaedam proferre, ea relinquimus et ad decisionem constitutionis dotis, quae circa feudalia bona obuerfatur deueni-

B

mus.

mus. Casus in praesentiarum obueniens hic esto. Caius decedit et excepto feudo bona allodialia non relinquit. Devoluitur feudum ad filios iure succedentes vel ad remotiores qui ex simultanea Inuestitura possessionem petunt. Filia superstes a successoribus feudalibus dotem legibus determinatam, dum ex bonis allodialibus satisfactionem consequi non poterat, petit. Obstat ipsi quod propria habeat bona quae honestam nubendi conditionem suppeditant et ius exigendi dotem ex substantia feudali impediunt. Decidenda hinc inde venit quaestio vtrum filia locuples adversus possessores feudales cum effectu agere et ab iisdem dotem alias competentem petere possit.

### §. VI.

Vacillans hac de re est sententia Carpzouii <sup>t)</sup> qui decisionem arbitrio magistratus relinquit, et consilii loco distinctionem quandam suppeditat. Respiciendum nempe esse putat, an feudum sit exiguum, filia autem bonis et facultatibus aliunde adquisitis abundet et tunc potius simultanea investitis quam filiae avaritiae indulgendum existimat, ira, ut exigua et modica, vel plane nulla iniungatur elocatio successoribus feudi; Contra si filiae facultates ad dotem non sufficerent, bona autem feudalia magni valoris ad agnatos si essent devoluta, filiabus dotem et elocationem ex feudo potentibus annuendam esse credit, ita tamen ut arbitrio magistratus et senioris res sit committenda, cum eius plurimum intersit, feuda nimium haud onerari et nihilominus filias Vasalli pro meritis suis ex bonis feudalibus iuuari.

t) De onerib. Vasalli Dec. III. pos. 3. nom. 24.

### §. VII.

Sed haec Carpzouii decisio quamvis aequitati conueniat, rem tamen certam efficere nequit, cum in opinione quadam singulari quae auctoritatem legis non habet consistat. Alii adfir-

adfirmatiuum sententiam defendunt <sup>u)</sup> et nullo discrimin'e habito, an filia propria habeat bona nec ne, dotis constitutionem suadent. Ita sentientes potissimum prouocant ad patr'iam potestatem ex qua necessitatem dotandi deriuandam esse credunt, hinc inde inferunt matrem ad praefstandam dotem non posse obligari. Applausum huic sententiae conciliare videtur l. ult. C. de dot. promiss. in qua Imperator Iustinianus paternum esse officium, dotem vel ante nuptias donationem pro sua progenie dare adserit. Quod si itaque dotis constitutio debitum est necessarium ex legis dispositione proueniens, diuitiae quibus abundat filia exemptionem praestare non possunt, cum creditori minime prospicit si debitor habeat, vnde vivere possit. Corroboratur hoc assertum quodammodo ex Decisione novissima Saxonica 34. de anno 1746. secundum quam corrigitur ius antiquum et pater nisi expresse dotem promisebit, ab eius praestatione liberatur, nulla distinctione habita an filia egena sit nec ne. Agnouerunt hanc sententiam ICti Wittebergenses et in causa v. P. contra v. B. reos non attenta exceptione quod auctrix ex haereditate aviae facultates satis convenientes aequisiuerat, ad dotem ex feudo praefstandam Mensē Ian. 1752. additis his rationibus: Die weil die Landes-Geseze; so denen Töchtern die Ausstattung aus den Lehn in subsidium zugeignen, darüber keinen Unterscheid machen, ob die Töchter arm oder durch fremde Adquisitiones zu Mitteln kommen, sondern selbige per benignam iuris dispositionem dotem ex feudo zu fordern berechtigt sind, condemnabant. Solummodo ad id, utrum filiae ex bonis allodialibus satisfactionem consecuta fuerit, respicientes, et hanc ob causam id iuramento suppletorio decidendum existimantes.

<sup>u)</sup> Gail observ. lib. II. obs. 99. n. 15. Ludov. in Doctr. Pand. ad Tit. de Iur. Dot.

## §. IIX.

Negatiua sententia nobis videtur verior, cuius rei gratia tribus vtimur argumentis. Primum suppeditat alimenta a quibus ad dotem consequentia trahenda. Vocabulum nempe alimentorum, quatenus ex sanguine debentur, latorem recipit significatum, ita vt non solum quae ad vitam requiruntur, sed onera caetera quoque quae parentes praestare tenentur liberis, iure ciuili sub se comprehendat, <sup>w)</sup> hinc praeter cibaria, vestitum, habitationem, etiam sumtuum studiorum, nec minus illorum quae ad artem addiscendam sunt necessaria, habetur ratio. <sup>x)</sup> Dotem vero si de patre est quaestio, ad alimenta referri posse, ex eo patet, quod sit onus paternum non patriae potestatis sed sanguinis iure quod sustinetur, quam ob rem nec deficiunt illi, qui emancipatione hanc obligationem tolli non posse statuunt <sup>y)</sup>. Quodsi itaque idotis constitutio ad onera paterna spectat, haec vero vti in praemissis diximus sub alimentis comprehenduntur, non dubitandum est dotem partem alimentorum efficere. Ad quod potissimum accedit, quod ipsae leges faciencie ab alimentis ad dotem argumentum formare et hanc illis aequiparare non dubitauerint <sup>z)</sup>. Quid quod ratio aequitatis nobis adficit, siquidem et illis personis quae propterea, quia minus sunt perfectae, in feidis non succedunt, ex feudo alimenta in subsidium debentur. Imo in Ord. Prov. Anhalt. <sup>aa)</sup> expressis verbis disponitur: und wird ihnen solche Aussteuer von denen Lehn- Folgern statt der Alimenten- Gelder so lange landüblich verzinset, bis sie sich verhey- rathen. Cessat autem necessitas alimenta praestandi, si liberi in ea sint conditione constituti, vt se ipsos exhibere possint, tunc enim Iudex aestimare debet, ne non debeant illis alimenta decernere, <sup>bb)</sup> unde si extraneus bona reliquisset liberis, ea lege, vt fructus et uslrae inde percipiendae in Sortis augmentum cederent, recte nihilominus pater desiderat, eam prouentuum partem sibi permitti, quae congruo alimentorum liberis

liberis praefandorum modo respondeat <sup>cc</sup>). Quae si ita sunt, filia aliunde habens bona nullo fundamento contra successores feudales agere, et ab iis quantitatem dotis alias competentem exigere potest.

w) I. 5. §. 12. ff. de agnosc. et al. lib. I. 45. ff. de adopt.

x) I. 6. §. 5. ff. de Carb. Ed. a. I. 12. §. 3. ff. de Admin. tut.

y) Berg. in oecon. Iur. Lib. I. Tit. III. not. 5.

z) Acurf. ad I. 12. C. de præd. minor. Salyc. in I. qui liberos ff. de rit. nupt. Bart. in I. fin. C. de dot. promiss.

aa) Tit. XV. §. vlt.

bb) I. 5. §. 7. ff. de agnosc. et al. lib.

cc) Voet. in Pand. ad Tit. de agnosc. et alend. lib. §. 15.

### §. IX.

Obstat forsitan huic sententiae quod saepiuscule in legibus inter alimenta et dotem euidens intercedat differentia. Negandum enim non est, matrem in regula ad dotandam filiam non obstringi, cum tamen obligatio alendi nunquam cesseret. Nec dubitandum est, filiam ad conferendam dotem respectu cohaeredum teneri, quae tamen collatio si quaestio obuenit de alimentis, in regula cessat. Exinde cum inter alimenta et dotem quoad effectus diuersitas se exserat, ab illis ad hanc argumentum non trahi posse videtur. Sed respondendum est, discriben, quod in quibusdam casibus obuenit, efficere tantum exceptionem a regula, quae vero regulam ipsam legibus satis corroborata non infringit, cum potius exceptio in casibus non exceptis eandem confirmet.

### §. X.

Alterum argumentum quod probationi nostrae inseruit, ex ratione quae patrem ad dotem constituendam impellebat, prouenit. Variae huius rei sunt opiniones et vacillans est Iudicium ICtorum, ast tamen re paulo penitus perpenfa putarem leges circa dotem et eius præstationem potissimum ad fau-

rem matrimonii respexisse. Separanda hac in parte sunt iura ciuilia a iuribus Teutonicis. In illis ut maritus onera matrimonii facilius sustinere possit, <sup>dd)</sup> in his vt post mariti obitum vxor, vnde se alere et sustinere possit, habeat, constituebatur dos <sup>ee)</sup>). Hanc ob causam Iure Germanico olim pater non tenebatur filiam dotare, quia nempe dotem non afferebat vxor sed maritus <sup>ff)</sup>), at apud Romanos necessitas dotandi incubuit patri, quia filiae lege Voconialata nihil ex paterna haereditate accipiebant, sed dos legitimae loco erat <sup>gg)</sup>). Ratio itaque si secundum leges ciuiles rem considerare velimus, quae stringebat patrem et eius officio cohaerebat, procul dubio haec erat, vt filia quae sine facultatibus non inueniebat maritum, conditionem nubendi honestam consequi possit. Ex hac ratione dotis conseruatio ad Interesse publicum spectat, cum reipublicae intersit, mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possint, <sup>hh)</sup> nec dici potest dos, nisi quae oneribus matrimonii inferuiat <sup>ii)</sup>). Pro oneribus enim matrimonii mariti lucro fructus totius dotis quos ipse cepit, iure sunt <sup>kk)</sup> et parentes qui prohibent ducere vxores, i. e. qui conditionem non quaerunt, id quod tamen praesupponendum est terminis habilibus, quatenus sc. ea facultate vt liberis prospicere possint, non destituti sint, egenos enim parentes a praestatione dotis lex ciuilis pariter et aquitas naturalis liberat, per proconsules et praefides prouinciarum ad dotis constitutionem adigi et inviti cogi possunt <sup>ll)</sup>). Haec vero ratio dotandi penitus cessat, si filia propria possideat bona nec auxilio patris egeat. Finge casum Titiam ex haereditate tertii sibi summam triginta millia thalerorum adquisuisse, an illa, vt pater ex suo patrimonio dotem adhuc constituat petere possit? Negandum merito hoc est, cessat ratio, nempe pietas quae impellebat patrem vt ipsi adiustat. Satis enim dotata est filia cui fortunae benignitas substantiam sufficientem dedit. Opulentis non succurrunt iura, nec aequum est filias cum iactura aliorum locupletari <sup>mm)</sup>. Id quod

quod ex Iure ciuili ad illustrandam causam profertur, et procul dubio ad Ius feudale adplicari potest, cum in decisione causeae feudalis quatenus specialiter nihil dispositum, ad ius civile recurrentum. Quatenus itaque filiae aliunde bona obuenierunt, siue eadem possideat ex haereditate patris allodiali, siue ex liberalitate tertii, haec enim differentia legibus est incognita eatenus facultatibus sufficientibus, quibus sibi maritum quaerere potest, abundat, et hinc a patre substantiam conditioni et dignitati conuenientem, cessante ratione quae patrem ad dotandas filias obstringit, petere cum effectu nequit.

- dd) l. 3, l. 7. pr. ff. de Iur. dot. l. 4. C. cod.
- ee) Spec. Sax. l. 2. a. 2. l. 3. art. 24.
- ff) Tacit. de morib. Germ. c. 18.
- gg) Perizon. ad Diss. de leg. voc. p. 108.
- hh) l. 2. ff. de iur. dot.
- ii) l. 76. ff. d. t.
- kk) l. 20. C. de iur. dot.
- ll) l. 19. ff. de R. V.
- mm) l. 14. C. de cond. in deb. l. 206. ff. de Reg. iur.

### §. XI.

Non desunt qui huic contradicunt sententiae et in contrarias abire solent partes. Prouocant potissimum ad l. vlt. C. de dot. promiss. In hac lege generaliter ad paternum refertur officium, dare pro progenie dotem, vel donationem ante nuptias, et ipsa dotis constitutio dicitur debitum, ad quod praefundam pater tenetur, nec distinctio additur, vtrum filia sit egena, vel propria habeat bona. Coniungunt cum eadem lege effatum Papiniani l. 69. §. 4. ff. de Iur. dot. secundum quod pater incertae pollicitationis dotem promittens, ad congruam dotem tenetur, sine distinctione an opulenta sit filia, an proprio patrimonio destituta, quod certe factum non fuisse existimant, si nulla dotis dandae necessitate fuisset pater a iure pressus.

pressus. Cum vero lege non distinguente Icto non competit distinctio, exinde inferunt in omnem euentum a patre dotem exigi posse. Melioris illustrationis causa a legitima liberis competentem argumentum desumunt, cum non minus dos, quam legitima naturalem aequitatis praestationem habeat. Cum enim ratio naturalis quasi lex quaedam tacita liberis parentum haereditatem addicat, velut ad debitam successionem eos vocatione, propter quod et in iure ciuili suorum haeredum nomen eis inductum est, ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis summoueri ab ea successione possint, aquifimum existimatum est, eo quoque casu, quo propter poenam parentis aufert bona damnatio, rationem haberi liberorum, ne alieno admisso, grauiorem poenam luerent, quos nulla contineret culpa, interdum in summam egestatem deuoluti. Quemadmodum vero pater filiae opulentae nisi ex iusta causa exhaerationem suscepit, legitimam relinquere tenetur, ita ut eidem non denegandam esse dotem concludunt.

### §. XII.

Ast haec obiectio quamvis ingeniose proferatur, parum vel nihil contra nos efficiet, lex enim vlt. C. de dot. promiss. est vna e quinquaginta Decisionibus et Iustinianis in eadem lege quaestionem ambiguam si pater sc. promisit vel dedit dotem, an de suo vel de bonis filiae eandem dedisse aut promisisse censeatur, decidit. Haec sola quaestio proponitur et in hoc casu de bonis suis patrem dedisse dotem colligitur, generalis vero quaestio, vtrum sine promissione si filia sit egene, teneatur pater, nullibi obuenit, nec in disceptationem deducitur, cum vero a casu speciali argumentum generale desumi nequeat, multo minus interpretatio legis ultra mentem dicentis fieri possit, id, quod ex eadem lege probare aduersarii volunt, veritate non est consentaneum, multo minus praestat patrocinium

I. 69.

I. 69. §. 4. ff. de iur. dot. Licet enim in eadem lege distinctionis utrum filia sit egena nec ne nulla fiat mentio, ideo tamen nondum sequitur ictum adprobasse quod et filia facultatibus instructa, dotem petere possit. Vnius enim rei positio non est alterius exclusio, et leges de obligatione differentes, semper terminos habiles sine quibus ea non consistit, praesupponunt; potius cum lex ex lege sit explicanda, circa declarandum hoc effatum ad sententias ictorum antecedentes in quibus ratio dotandi suppeditatur, configiendum. Nec nocet argumentum quod a legitima desumi solet, dummodo in considerationem vocare velimus, legitimam a dote toto ut ita loquamur coelo differre. Legitimam enim debet et mater cui onus dotandi non nisi per exceptionem iniungi potest. Illam post mortem patris petimus, efficit enim partem haereditatis, viventis autem nulla est haereditas, dos ex aduerso a patre vivente exigi potest cum detur intuitu matrimonii, ut illud inveneriat foemina, circa quod mors patris non expectanda.

## §. XIII.

Tertium quo utimur ad probandam causam argumentum suppeditat Ius Saxonum. Ante omnia distinguendum est inter dotem constitutam et constituendam. In priori casu si debitum eo nomine a patre contractum ex solo feudo nullo respectu habito ad bona allodialia debetur satisfactio, etiamsi defecerit consensus domini directi vel agnatorum, in posteriori vero feudum afficit haec praefatio tantum in subsidium, quantum non relinquit vasallus allodialia <sup>nn</sup>). Hoc analogiae iuris et obseruantiae consentaneum, nec dubitationem excitat. Quid de nostro autem casu quem expresse decisum in legibus non inuenimus dicendum, paulo penitus examinabimus. Prouocabimus ad textum Ord. Proc. Sax. Tit. XLV. §. 13. ubi haec verba leguntur: Es tragt sich auch oft zu, daß die Söhne

C

nach

nach Absterben ihrer Eltern Schuld machen, dieselben auf das Lehn versichern lassen, und doch denen Schwestern ihre gebührende Ausstattung nicht ablegen, damit nun dieselben hierdurch nicht um das, was ihnen aus den Lehn-Gütern gebühret, unbilliger weise gebracht werden, wollen wir daß in solchen Fällen die Töchter, woferne sie sich an denen Erb-Gütern nicht zu erhöhlen, auch in den Lehn ein solch Recht haben sollen, daß sie alle dasjenige was ihnen zu ihrer Ausstattung von ihren Vater zusteht, vor allen andern ihrer Brüder Gläubigern ob dieselben auch gleich ausdrückliche Verpfändung auf das Lehn erhalten, befriedigt werden, und sich derowegen an das Lehn, ob es schon in andere Hände kommen wäre, halten mögen. In hac lege pariter et in Const. Et XLVI. P. II. de dote filiarum agitur, et priuilegium secundum ius saxonicum hisce personis eatenus ut et hypothe-  
cam tacitam in feudis habeant, datur. Sed legislator de conseruatione feudorum sollicitus successores feudales simpliciter grauare noluit, potius ex haereditate praedefuncti patris prae-  
primis satisfactionem praefstandam esse sanciuit, hoc indicant verba: woferne sie sich an denen Erb-Gütern nicht zu er-  
höhlen. Nihil dixit legislator de casu si filia dotem exigens propria habeat bona, sed tantummodo illum exprefsit, quatenus dotem ad cuius constitutionem leges patrem stringunt ex haereditate allodiali nondum percepit. Exinde dubitari potest vtrum dispositio de casu speciali differens ad casum non expressum applicari possit, praesertim cum lex correctoria pro qua s. citata habetur, a iure communi enim secundum quod feuda ad masculos pertinent, nec ad haereditatem cuius par-  
ticipes sunt foeminae referuntur, recedit, strictissimam desideret interpretationem. Ast cum interpretatio legis non ex verbis sed mente dicentis desumenda, ad rationem huius dis-  
positionis ut respiciamus necessitas exigit. Ratio legislatoris sanctissimi procul dubio ea fuit, ut foeminae in subsidium si substantiam doti congruam non possident, quodammodo sa-  
tisfactio-

satisfactionem ex feudis in quo maxima pars bonorum Vasalli consistit, consequantur, et sic egestatem filiae, ne conditio honesta nubendi deficiat in considerationem vocasse Electorem certo constat. Alias enim nisi haec fuisse causa indistincte ex feudo substantiam dotis loco assignasset; siue igitur filia ex bonis paternis substantiam sufficientem siue aliunde forsitan ex haereditate tertii vel alio modo acquisuerit facultates, in utroque casu dotis petitio cessat, cum ad egestatem non prouocare et hac deficiente fundamentum agendi sibi vindicare nequeat.

nn) Horn Iurispr. Feud. c. XXI. §. 13.

#### §. XIV.

Haec sententia quam in praesenti defendimus etiam in pronunciando obtinuit, cum enim contra sententiam Dominorum Wittebergensium §. VII. propositam rei vterentur remedio suspensiō Icti Lipsiensis Mens Nov. 1752. sententiam reformatoriā forebant, additis rationibus dieveilen obangezogene Landes Gesetze denen Edchtern die Ausstattung aus dem Lehn nicht schlechterdings, sondern nur in subsidium und in so weit des Vaters allodium nicht zureichend ist, zueignen, hiernechst die Edchter, wenn sie durch fremde Adquisition zu Mitteln kommen ex feudo keine Che-Gelder practendiren können. Interposita ab actoribus appellatione in iudicio supremo Appellationum, haec equidem sententia Mens. Octbr. 1754. corrigebatur, ex sequenti ratione: dieveil in denen in der Klage angezogenen Gesetzen denen Edchtern die Ausstattung aus den Lehn schlechterdings, und ohne einen Unterschied zwischen denen die außerdem schon Vermögen haben und denen so dergleichen nicht besitzen, geordnet ist ast cum rei vterentur Remedio leuterationis Mens. Febr. 1757. alia dabatur sententia quae opinionem Ictorum Lipsiensem cursus confirmabat, cuius rationes hae sunt: Dieveil vermöge

der XLVI Constit. P. II. und der Gerichts-Ordnung Tit. XLV.  
§. 13. denen Edchtern die Ausstattung aus dem Lehn nicht schlech-  
terdings, sondern nur in subdium und so weit des Vaters allo-  
dium hierzu nicht zulänglich, zu praestiren, hiernechst dieselben,  
wenn sie durch fremde Adquisitiones zu Mitteln kommen keine  
Ausstattung ex feudo praetendiren mögen, gegenwärtig aber  
Appellantens Principalin von ihrer Gross-Mutter bis 30000 thlr.  
ererbet, solchemnach dieselbe keine fremde Ausstattung ex feudo  
bedürft, maassen ratio necessitatis dotandi filias hauptsächlich dar-  
inne bestehet, damit diese eine anständige Condition und Ge-  
legenheit zu heyrathen finden mögen, diese ratio aber bey Appel-  
lantens Principalin cessaret. So ist ic.








Leipzig, Diss., 1763(1)

vol 18







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSE RATIO IVRIDICA

DE

F I L I A  
PROPRIA BONA POSSIDENTE  
AD PETITIONEM DOTIS EX FEVDO  
NON ADMITTENDA

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV

P R A E S I D E

D. FRIDERICO GOTTLIEB ZOLLERO

P. P. DE VERB. SIGNIF. ET DIVERS. REG. IVR.  
ET FACVLT. IVRID. ASSESS.

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

CAPESSENDI

D. XIX MAII MDCCCLXIII.

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I

S V B M I T T I T

A V C T O R

IOANNES GEORGIVS SPILLNER

A D V O C . D R E S D E N S .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A .

1763, 27

